

**Dissertatio medica inauguralis, de hepatide. / Quam ... ex auctoritate ...
Johannis Wesselii, ... eruditorum examini submittit Johannes Henricus
Mauclerc ... Ad diem 17. Septembris 1728.**

Contributors

Mauclerc, John Henry, 1700-
Wessel, Johann, 1671-1745.

Publication/Creation

Lugd. Bat : Apud Joan. & Herm. Verbeek, [1728]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ym8eswy3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,

D E
HEPATITIDE.

QVAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS WESSELII.

S. S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE IN ILLUST. ACAD. LUGD. BAT.
PROFESSORIS ORDINARII, ET ECCLESIAE IBIDEM PASTORIS;

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
ritè ac legitimè consequendis,*

Eruditorum Examini submittit

JOHANNES HENRICUS MAUCLERC, Anglus.

Ad diem 17. Septembris 1728. horâ locoq[ue] solitis.



LUGD. BAT. Apud JOAN & HERM. VERBEEK.

DISECTIO
MEDICA INJURIALE
H E P A T I D I

D. JOHANNIS WESSELI
PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
TITULIS AC DISTINCTIONIBUS
JOHANNES HENRICUS MARCHIUS,
SANTAS ANDREAS COLLEGII
ET UNIVERSITATIS MEDICAE VIENNAE
PROFESSORIS ORDINARII, ET FOCALIS INSTITUTORUM;
MEDICO NOMINE
SANCTI JOSEPHI
VITERBOENSIS
PRO FAMILIA
PATER
D. JOHANNES WESSELI
HABENS
TITULUM
PROFESSORIS
ORDINARII
IN MEDICINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
TITULIS AC DISTINCTIONIBUS
JOHANNES HENRICUS MARCHIUS,
SANTAS ANDREAS COLLEGII
ET UNIVERSITATIS MEDICAE VIENNAE
PROFESSORIS ORDINARII, ET FOCALIS INSTITUTORUM;

*SPECTATISSIMIS, GRAVISSIMISQUE
VIRIS*

D. JACOBO MAUCLERC,

M. D. COLL. MED. LOND. L. PRACTICO
EXPERTISSIMO, FELICISSIMOQUE PATRUO
SUO PATERNUM IN MODUM DE SE, STU-
DIISQUE SUIS MERITO, PLURIMUM SIBI
VENERANDO.

D. SAMUEL I SEULLYN,

M. D. PRACTICO APUD AMSTELODAMEN-
SES DOCTISSIMO ET CELEBERRIMO, FAU-
TORI SUORUM STUDIORUM MAXIMO,
CONSANGUINEO SUO SUMMOS AMORIS
ET HONORIS CULTUS DE SE MERENTI
DILECTISSIMO SIBI ET IMPRIMIS OBSE-
VANDO.

NEC NON

*AMPLISSLIMIS ET INCLYTISSIMIS VIRIS
PRÆCEPTORIBVS SVIS NULLO NON
HONORIS GENERE COLENDIS.*

D. HERMANNO BOERHAAVE,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORI, MEDI-
CINÆ, BOTANICES, ET CHEMIÆ PROFES-
SORI, COLLEG. CHIR. PRÆSIDI, SINGU-
LARIS ERUDITIONIS GLORIA CONSPICUO,
NEC UNO SIBI NOMINE MAGNOPERE LAU-
DANDO, ET SUSPICIENDO

D. HERMANNO OOSTERDYK
S C H A C H T,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCT. MEDICI-
NÆ THEOR. ET PRACT. PROFESSORI CLA-
RISSIMO, ILLUSTRIUM AC POTENTISS.
ORD. HOLL. AC WESTFR. COLLEGII THEO-
LOG. MEDICO. COLL. PHARMAC. PRÆSI-
DI, DIGNISSIMO ET CONSULTISSIMO.

D. BERNHARDO SIEGFRIED
A L B I N O,

PHIL. ET MED. DOCTORI, ANATOM. ET
CHIR. PROFESSORI EXIMIO, MULTIS HU-
MANITATIS OFFICIS OPTIME DE SE ME-
RITO, PROMOTORI SUO VALDE SIBI HO-
NORANDO ET AMANDO.

... IN

*Hasce studiorum suorum Primitias in
summæ Venerationis, gratique
Animi testimonium.*

D. D. D.

A U C T O R,

ac ceterarum principum partium creditur, verum contrà gravissimas & longissimas omnium affectiones parit. Difficillima quidem etiam Diagnosis facit tortan, ut rarer habeatur morbus, quam revera sit. Priusquam vero haec omnia exponantur, praemittenda videtur brevis hujus visceris descriptio, ut dicenda clarius pateant: dein subjiciemus morbi causas, diagnosis, prognosin, & curationem, quoad ejus poterit a nobis fieri.

IV. Hepar, maximam partem, in Hypochondrio dextro collocatum pertingit ad spurias usque lateris sinistri costas. Pars dextra incumbit reni, operit nonnullas Coli, Jejuni, Omentique partes & Duodenum totum: sinistra vero Pyloro, Ventriculique parti anteriori maxima prætenditur, tegitque ibi etiam omenti partem. Ligamentis vulgo tribus firmari dicitur. Suspensorium vocatur primum, quo Diaphragmati annexitur, penetrat ipsum visceris parenchyma, & arcte adhaeret involucro rami Venae Portarum, qua Vena umbilicalis eidem est continua, (e) teste Glissonio, qui radicationem hanc a se primo repertam fuisse contendit. Latissimum illud est ex tota anteriori, mediæque ferè Regione prognatum, & juxta mucronatam Cartilaginem desinit. Alterum sinistræ superiori parti appensum tenue validum jure potiori suspensorium vocandum. Hoc quidem solum Cartilagini ensiformi adherere dicit Gliss. sed Vesalius hic videtur accurrior, uti nobis clarissime patuit, demonstrante dexterimo Doctissimoque Bern. Siegf. Albino, præceptore meo, quem honoris causa nomino. Utraque lata commodè vocantur, his enim validè & latè septo transverso Hepar alligatur. Tertium arefacta Vena umbilicalis est. Connectitur quidem aliis plurimis non æquè insignibus membranulis a Peritonæo, cum omnibus vicinis partibus, at earum a nostro proposito aliena est mentio.

Vasa diversorum generum illi sex impertita sunt. 1. Gibbam superiorem partem ingreditur Vena cava per osso mox Diaphragmate. Simæ junguntur, 2^o. Vena Portarum omnem

B

ferè

(e) Anat. Hep. cap. 2.

ferè totius Abdominis sanguinem revehens. 3º. Ateria hepatica, dextri Cæliacæ rami propago. 4º. Porus hepaticus, sive biliarius. 5º. Nervus hepaticus ab intercostali deductus. 6º. Lymphæductus. Horum autem vasorum omnium ramulos capillares (f) laudatus Glissonius in quaslibet Parenchymatis partes unà distribui affirmat. Donatum quidem est arteriis quibusdam aliis, Cl. Ruysschio detectis, a septo transverso, ligamento suspensorio, & arteriis cysticis venientibus. Inter vasorum priorum cunctas extremitates, innumeri interponuntur Acinuli, sive Glandulæ, parum enim refert nomen, humorum secretioni inservientes. Hanc certè sententiam tuebimur maximis argumentorum copia & robore defensam, donec Autopsia non fallax assensum contrarium cogat. Nec aliam elegerit sane, quisquis eruditam illam & venustram de iis legerit Epistolam Cl Boerhaavii ad Cl. Ruysschium datam.

Vena Portarum Poro biliario bilem in Duodenum effundendam; sanguinem superfluum Venæ transmittit cavæ, quæ simul arteriosum omnem ad Cor cruentem refert. Vasa lymphatica suos ab arteriis rivos ad lumbarem Cisternam ferunt. De nervo non liquet. Jam, ut obiter observem, nonneverius, quām ipse intellexerit, pronunciavit olim Hipp. ῥίζωσις φλεβῶν, ἡ παρ. ῥίζωσις αἱτησιῶν, καρδίη. σὺ τέτων αἱποπλανάται ἐς πάντα ἀἷμα καὶ πνεῦμα, καὶ θερμασίν οὐδὲ τέτων φοιτᾷ. οὐδὲ τρέφ. art. 7. Ναὶ circulationem illi, vel taltem Autori antiquissimo cognitam arguas ex sequenti libri, non certò genuini, loco, nisi prior ille satis innuat. Η καρδίη μῆτης καρδικοῖς, καὶ τῷ νευρῷ, ἀλλὰ πιλήματι σαρκός, καὶ δύο γαστέρεσιχει, διακεκριμέναις εἰς τελείωλα, τὴν μὲν εὐθα, τὸ δὲ ἔνθα.

Αὐται πηγαὶ φύσις Θεοὶ αὐθεώπις καὶ οἱ ποταμοὶ εἴνται θαλάτται αὖτε τὸ σῶμα, τοῖς ἀρδετοῖς τὸ σκῆνον Θεοῖς. οὗτοι δὲ καὶ ζωὴν Φέρεσι τῷ αὐθεώπῳ. οὐδὲ καρδ. art. 4. & 5. Facillimum profectò foret super his multū & physicè & criticè commentari, verū res vera agitur, non est ludendum.

Quæ de Hepate diximus, ut ut brevissima, satis tamen.

Pro-

(f) Anat. Hep. cap. 2.

proposito faciant, quare cetera consultò multa prætermisimus, quæ, si opus erit, jam commodè suo poterunt loco adduci.

V. Inflammatio, Ignis; Πῦρ, φλεγμονή græcis, ideo Cl. Boerhaavio suam videntur appellationem esse fortiti, quod similia morbo & igne actuali phænomena producantur. Optime definitur ab eximio Viro, *sanguinis rubri arteriosi in minimis canalibus stagnantis attritus a motu reliqui sanguinis moti.* Canales illi minimi sunt, vel fines primi generis arteriarum, vel initia secundi, quæ uberior ex pulchra ejusdem Doctrina tunt discenda.

VI. Est igitur obstrœctio proxima & generalis morbi causa. Quoniam verò omnium Gentium Medici confitentur omnes obstruktionibus opportunum maximè præ ceteris visceribus esse jecur: cùm non solum, ut mox patefaciemus, propriis vitiis lædi variè queat, sed etiam vicinorum luat: an non rectè statuissent item creberimas hic inflammationes esse, nec in corpore quidem toto tot oriri aliàs?

VII. Multæ sanè gravesque rationes pro sententia tali militant. Nam insignibus duobus vasis arteriosus liquor illuc pulsus loca vel minima quaquaversum attingit. His aliæ minoris momenti arteriæ accedunt. Juvat ingens Glandularum vel folliculorum copia, in quibus liquidorum stagnatio facillima, & quorum laxa & obsequens Fabrica novorum congestione incredibiliter tumescat. Porus biliarius æquali & contigua propagine distributus, sui quoque liquoris concretioni obnoxius valdè. Moles denique visceris ingens, qua pluribus injuriis patet.

VIII. Rationes illas peculiaris sola visceris conditio suppeditat; verùm ut quantum valeant, luculentius appareat, examine paulo diligentiore perpendendæ sunt. An non duplex arteriosum systema, huic soli parti proprium, & alternis & circumdatorum injuriis obnoxium erit maximè? Ruat enim materies crassior vel in ramos Venæ Portarum, vel in ramos Cæliacæ, necesse est ut, dilatatis & infarctis his, illi comprimantur statim, quandoquidem socii eandem ubique affe-

Etant viam. In alterutris igitur hæreat causa, simul læduntur, & obstruentur. Glandulæ turgidiores, duræque utrosque arctabunt, nec secus meatus biliarii ambos afficiant. An non inde sanguis arteriosus stagnabit, & impingentis atteretur motu? Causæ autem illæ variæ sunt & creberrimæ, nonne ergo hæc pars sæpiissimè laborabit, quæ plurimarum irruentium causarum vi est exposita?

IX. Viri multi doctissimi causati sunt arteriæ parvitatem, segnioremque Venæ Portarum impetum, quibus crebrior caveretur inflammatio: at alii, inter quos (g) Bonetus cluet, probabiliore cum ratione sentiunt nequaquam sic solvi nodum: nam in minimis sanè prima labes mali consistit, impetusque minor atteret minus, atteret tamen. Censet idemclarus Vir ut obstructiones, sic frequentissimas hic inflammations esse.

X. Practici tamen plerique contrà opinantur, nec illis firma satis argumenta detiunt, utpote quos observatio quotidiana certos facit frequentiæ obstructionum: quot enim illiscrandi dantur Jetteri? raro autem prorsus obveniunt inflammations. Atqui, si modò causa adæquata est obstructio, quod in confesso est, cur non concedetur perpetuus adequatæ causæ effectus? Haud immerito illud quis miretur: grandis enim hic in Theoria eximendus scrupulus obversatur, quem paucis agitare tantum conabimur.

XI. Inflammatio vel magna vel parva existit pro vasorum obstructorum numero & magnitudine. Parva bene vocetur particularis. Hanc autem obscuram penitus esse, cum incessit, nullo modo mirum est. Profundus visceris situs, & sensus hebes omnia signa oculit; nec enim rubor, nec calor, nec tumor, nec dolor appareant. At inquires, nec illos practici vident, cum obstructions adesse cernant, unde manifestò negant, datis illis, alteram dari. Quid igitur hæc sibi volunt? Nimirum amplius aliquid requiri, ut inflammatio-

(g) Vid. Bonet. Anat. Pract. Lib. 3. Sect. 17. Obs. 1. & Gliss. Anat. Hep. cap. 20 Prop 12. qui lis ipsis proclivem magis in infarctiones partem hanc esse arbitratur.

tio interna dicatur; quod quidem ipsa Febris est, cuius Indicatio necessaria habetur. Dispar ergo erit internarum & externarum inflammationum ratio, definitioque illis diversa competit. Oriuntur enim, ut cuivis notum est, in externa Corporis superficie complures inflammationum species, quas nulla Febris comitatur. Quid autem vetat, quominus eadem absente, multæ contingent pariter internæ? Omnipotens nihil. Imò graves urgent rationes, ut credamus in hepate præser-
tim eas crebras esse. Docent enim observationes anatomicæ frequentes ibi abscessus reperiri singulares, postquam febris suspicio fuisset nulla. Porrò semper abscessum antecessit in-
flammatio supra definita. Quid autem verbis opus est? Jetteri, quos non mediocris obstrucción parit, nullam sàpè comi-
tem habent febrem, eo magis certè ea carebit levior. Ni-
hil loquar hic de inflammatione membranæ cellulosa vasis.
Capsula Glissoniana tectis interpositæ; juxta subtilem, nec
ideò pro Theoriæ utilitate satis perpensam Doctrinam præ-
ceptoris mei excellentis Boerhaavi, qui primus docuit & de-
monstravit, quam latè inflammations pateant, cum simpli-
cissimas quasvis vasorum tunicas corripiant. Quæ contem-
platio ad multa in morbis intelligenda facit, usque adeò ve-
rum illud Hippocraticum est, (h) οσα γε τὴν τῶν ὄμμάτων ὁψι-
καφένει, τὰντα τῇ τῆς γνώμης ὁψει κεραζόταν. Sit tandem fe-
bris inflammationi internæ dicendæ necessaria, ingens usque
difficultas manet. Nisi enim acris qualiscunque materies in
massam sanguineam delata Febrem stimulârit, excitarit illam so-
la obstrucción. Jam vero motum illum subinde commovebit me-
diocris causa, quo effectu sàpè caret maxima. Nonne enim
creberrimi hic & alibi nascuntur scirrhi nulla inflammatoria
præsente Febre? Quandonam verò major obex fluenti san-
guini obviam stat? Cur igitur non celerius abripitur, qua da-
tur via? Inflammationem & pariunt & sequuntur scirrhi;
iidem nihilominus, altera deficiente, oriuntur, & manent.
Minores autem longè obstrukções Febrem interdum du-
cant.

(h). Mēs Tex. art. 19.

cant. Sunt profectò omnia hæc *ωδησθούσαται*.

XII. Longior fortè, quām oportuit, videbitur hæc de una frequentia Morbi Disputatio: verū, nisi fallor, non indigna videbor Problemata doctioribus solvenda commendâsse duo, scilicet, 1º. cur Hepatis Inflammatio particularis non continuò sequatur obstrunctiones, quibus leviores nunquam non externam in corporis superficie dent? 2º. Rursus cur nec dicta Inflammatio orta, nec major, quām ad illam constituant poscitur, obstructio facta, semper accersant Febrērem? Solutio non minus utilis, quām ardua foret, satis tamen habebimus aliis Provinciam obtulisse, quam, virium nostrarum consciī, detrectamus ipsi. Habemus hortatorem summum Hippocratem, qui non minus ingenuè & candidè obscura multa in morbis esse fatetur, quām confidenter verèque prædixit ea detectum iri. (i) Ἰτερικὴ δὲ πάντα παλαιὸν ἀρχὴ, καὶ ὁδὸς ἐυημένη, καθ' ἣν δὲ τὰ ἐυημένα, πολλὰ τε καὶ παλᾶς ἔχοντα ἐυρηται, εν πολῷ χρόνῳ καὶ τὰ λοιπὰ ἐυρεθῆσται, ἣν τις ἴκανὸς τε ᾧν, δὲ τὰ ἐυημένα εἰδῶς, ἐν τέτων ὄρμώμενος ζητέη, ὅσις δὲ τῶντα αἴποβαλῶν αἴποδοιμάσσας πάντα, ἐτέρη ὁδῷ, καὶ ἐτέρῳ χρήματι ἐπιχειρεῖ ζητέειν, καὶ Φησί π. ἐυηκέναι, καὶ ἐξηπάτηται, καὶ ἐξαπατᾶται αἰδίνωτον γέ.

In causis autem indagandis præsertim memores nos decet esse moniti, quod etiam inferius paulò subjungit, utilissimi. Δεῖ γὰρ τὰ τῶντα αἴτια εἰκάσεις ἡγεμονή ᾧν παρέοντων μὲν, τοιχοῦ τρόπου αὐτάγκη γένεσθαι μεταβαλλόντων γένεσις ἄλλην κρῆτιν, πάνεθη.

XIII. Sunt itaque parvæ Inflammationes admodum frequentes, sed nullis signis conspicuæ: raræ quidem ingentes, quarum aliqua Diagnosis datur. Si quæ adhuc argumenta videantur infirmiora, confirmabuntur ea ulterius iis, quæ supersunt explicanda; tūm juvabunt multa, quæ non protuere singula.

XIV.

(i) Περὶ ἀρχ. Ἰτερικ. verū indignor esse a bono Viro alibi prollata, quæ cum his planè videantur ἀσύντατα, nempe, Αρχὴ δὲ ἵπται, ἀποδεδειγμένη μὲν, ἐκ τούτων, ἤτις ὁρθῶς ἀρχὴ ἐστι πάσης τῆς τέχνης, ὃδὲ διευτερη ἀδέν, ἢδὲ τελετή. τοῦτον τούτων Lib. I. art. 8.

INAUGURALIS.

15

XIV. Remotæ nunc enumerandæ sunt causæ, sed proëgumenas tantum memorabo, consultò nihil dicturus de procatarethicis saltem communibus. 1°. Splen pravè suo defungens munere, quo sanguis jecori crassior aut copiosior amandatur. Pancreas obstructum aut scirrhosum. Glandulæ Mesenterii obstructæ. His omnibus vitiis præsertim sanguinis transitus per Venam Portarum difficilis evadit. Cum enim illac omnis visceribus illis per Mesentericas binas sanguis impertitus redæat, necesse est ut aucta copia, vel craisis inepta refluxi liquoris præparatione necessaria orbati remoram patiantur. 2°. Auctior supra modum vicini omenti moles. Enormes vomitionis effectus, quibus extrinsecus premitur & contunditur. 3°. Omnes cachexiarum species, atrabiliariæ, scorbuticæ præcipue. Variæ purulentæ materies per Metastasin illuc delatæ. Sic Lues venerea, Variolæ saepius Hepati immiserunt ulcera. Venena quædam, Febres ardentes spissiorem sanguinem præstantes sero consumpto. His omnibus primario nascetur obstaculum in finibus cœliacæ, cum immediate Massa sanguinea corde pulsa per eam ad jecur vadat. 3°. Bilis vitia innumera. Calculi, gypsicæ, glutinosæ concretiones meatus biliarios infercientes, maximè sedentariis familiares. Scirrus obduratis Glandulis factus, Callus, Vermes, Strumæ, Steatomata, Melicerides, Athetomata, præcipue causæ sunt externæ vasorum ramos ultimos angustantes. 4°. Capitis vulnera huic visceri ferè infesta observantur, nam abscessus post ea cultro Anatomico frequenter monstrantur, quin & solenne biliosi vomitus symptomæ satis rei fidem facit. Utique nervus inter costalis & parvagum noxiæ hujus communicationis videntur incusanda, verùm quomodo, & an alia nulla causa sit, vix ac ne vix quidem respondere est. 5°. Summæ denique animæ perturbationes, quæ quidem inter causas procatarethicas forsan frequentissimas poni queant, imprimis mœrores ingentes & repentina, Φεύτις νῦσσος χαλεπή inquit Hippocrates. Hoc miserorum hominum sensus experientia quotidiana notus nos docet, nam vehementius commoti regionem illam semper que-

queruntur vexari. Proculdubio rursus iidem accusandi veniunt nervi, Mentis motibus agitati, qui, si conjecturæ locus est, circumdata vasa stringunt fortius, unde prohibetur sanguinis progressus, qui si non brevi restituitur, obstrunctiones & stagnationes inevitabiles stabiliuntur. Coronidis loco notare licet emplastris & cucurbitulis huic regioni admotis inflammationes quoque esse productas. Hæc omnia præcipue Glissonius & in sepulcreto suo Bonetus abundè testantur. Verùm ibidem & occurunt exempla plurima, quæ effectus causarum harum alios exhibent, Jæterum puta, Diarrhoeam, aliaque hic non recensenda. Calculi veò, quod omnino mirum est, compluries innoxii jacuisse deprehensi sunt. Sic dilertè Gliss. (k) *Novi complures, qui lapidum hujusmodi fragmina ingenti quantitate per alvum eliserunt: quorum locum genitalem haud alium fuisse existimem, quam vasa bilaria.* Quam mox sententiam adstruit mira sed certa in bobus observatione facta, quorum Hepar hyberno tempore lapidibus planè confertum reperitur, at verna tempestate raro: quippe qui, ut rectè conjicere videtur, graminis recentis succo soluti exturbantur.

XV. Pathognomonica nunc signa proponenda sunt. 1º. Loci affecti dolor gravitate molestus, nunquam acutus: nisi interdum acerbiores dolores illic persentiantur, quoties præternaturaliter costis Hepar adhæreat, qui Morbus vocatur **Glissonio**, *Adnascientia Hepatis*, Anglis *Liver-grown*. Illudque vitium inter causas inflammationis est referendum juxta eundem autorem, cuius adscribenda videntur verba: (l) *Hujusmodi adnascientia, sive adhesio ejus non solùm Respirationi incommodat, sed & exercitia, motusque Hepatis privatos immunit, quibus ad varios humores secernendos, eosdemque in vicina loca deturbandos excitatur, quibus fit, ut obstructionibus, humorumque pravorum congestionibus, accretionique nimiæ magis sit obnoxium.* Dolores illi, nisi vitium in ipsis Membranis hæreat, ab aucto visceris pondere potissimum videntur oriri, nec alia

(k) Anat. Hep. cap. 7.

(l) Cap. 2.

alia ratio intelligat illius doloris, qui maximè pathognomicus traditur, ipsum tentantis jugulum: nimirūm Diaphragmate depresso, diaphragmaticus a duobus, tribusve Cervicalium oriundus nervus tenditur, doloremque illic figit. Verùm illi sàpè citra Febrem ingravescunt, quare propria magis obstructionum signa sunt. Ad hanc rem ulterius confirmandam haud alienum erit adferre nova Glissonii verba, quæ vel propter singularem prorsus observationem præbitam erunt, ut spero, non ingrata. (m) Sàpè quidem comperi dolorem cholico non absimilem, & cetero præcedaneum esse, atque eundem interdum subsequi. Differt a Cholica vulgari, quod ultra Cartilaginem ensiformem ad ipsius sterni ferè medium protendatur, imò verò ad ipsas Claviculas nonnunquam protendatur. Diffunditur etiam ad Hypochondria, aliasque complures abdominis partes; omnibusque ferè iis in locis dolor hic mordax ac lacinans persistit. Adebat, inquam, dolor exquisitus, nulla Febre conmitatus, & ad Cholicæ morem corpus arctè constringit. Licet autem obstructio hepatis possit esse quadantenus dolorum horum accerrimorum causa, & epar tamen eorum sedes esse non potest, quoniam ad loca ab eo dissita exporriguntur. Fortassis & Colon interdum doloris hujus nonnihil particeps fuerit. Ventriculo autem præ ceteris omnibus partibus ægrè est, uti & Peritonæo, quod notbas Costas obtegit: unde etiam crediderim membranas subtus sternum positas invadere. Sàpè mihi molestus fuit hic dolor, præser-
tim ab usu Opii, imò verò aliquando epotis duabus solùm Diaconii drachmis, iisdem malis dilaniabar: attamen Vini albi frigi-
(n) amplius frequensque haustus opem mihi præsentaneam attulit. Non minus certè mirabilis, quam insolens est heterocli-

(m) ibid. cap. 30. ad finem.

(n) Mensura nimirum Scyphorum istorum decumanorum, vulgo Bocal. Dosis sanè largior, quamque bonus stuperet Hippocrates, qui ceteroquin Remedium egregiis laudibus effert. Οὐρανοὶ μέλι καλιστα πίκεται εἰς ἀνθεώποιοι, ἢν τεσσεράκις φύεται, καὶ ὑγιάντεται καὶ ἀσθενεῖται οὐτοῦ καὶ μετελόπτη τεσσερφίδεοντο. καὶ ἀγαθὰ μὲν ἀντὰ ἐφ' ἵππων. ἀγαθὰ δὲ καὶ ζυμμισγομέτρα. τοῖς πατέσι. art. 54. Usque adeone potens & valens 1-
diiosyncrasia est!

tus ille summis Anodynīs inductus dolor. Nonne verà dōlendum dolorem unum esse rarissimum, cuius haberetur specificum præstò gratissimum & vulgatissimum simul? Utique tūm, vel ipsis complodentibus extorto risu tetricis hominibus adusta bile torridis, exploderetur horridum illud socratice Familiæ sapientiam ambientis dictum, *nocet empta dolore voluptas.* 2º. Alterum signum est tumor, quem circumscriptum vocārunt practici, i. e. figura jecinoris determinatum. Nonnunquam visu conspicitur, alioquin explorandum tactu sæpius. Renititur digitis inter Costas nothas, & in media Abdominis regione interdum infra Umbilicum pertingit. Major apparet, corpore in sinistrum latus verso; quia tum mole sua nonnihil ex costis devolvitur. Hoc autem in obesis signum fugit teste (o) Galeno, & Bonetus idem perpetuum esse negat: quin & scirrho videatur maxime proprium. 3º. Solus supinus decubitus tolerabilis existit: in dextrum enim latus cubantem circumposita premunt viscerā, & in lævum reclinati membranosa ligamenta tracta dolorem exacerbant. 4º. Urina vel intercepta, vel penitus suppressa. 5º. Inspiratio difficilis & acerba. 6º. Tussis levis, crebra, & acuta. 7º. Febris ardens & acuta, quam propriè Causon veteres appellārunt, (p) τᾶς γὰρ ὑπὸ τῶν παλαιῶν ὀνομαζομένης κάυσες ὡς τὸ πολὺ γιγνομένης ὁρῶμεν ἐπὶ ταῖς τᾶς ἡπατῷ, ἥπατίας φλογώδεσι διαθέσεσι. Unus summoperè nos torquet Hippocratis Aphorismus quem quidem hic duntaxat proponam eruditis solutionem relicturus. Οχόσοισι ἡπαρ τείωσιν αὐταῖς, τατέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενῷ λύτ τινα ὁδύνην. Aph. 6z. Lib. 7. 8º. Superest unum signum inter pathognomonica singulare & notatu forsan dignissimum. Observat enim Lomnius dextram interdum torqueri manum. Quod quidem facile intelligitur, cum eodem ortu prodeant & axillares & diaphragmaticus Nervi, unde etiam suprà memoratus dolor ejusdem lateris humerum occupat. Atque hæc inflammatio-

ο Περὶ τῶν πεποθέτ. τόπων, βιβ. E'. Κεφ. 2'. p. ibid.

p Ibid. Vid. Bonet. Lib. 3. Sect. 16. Obs. 6.

tionis sanè immanis habenda signa sunt, quæ vix manifesta fieri queant, nisi totum quantum est, jecur morbus affligat. Quæ diximus autem comprobata sunt insignis testimonio Practici Lomnii, cuius verba hic apprimis opportuna sunt. *Hactenus, inquit, ea signa posuimus, quæ vehementiori debentur fæcioris inflammationi.* Verum hæc tamen (quod nos frequenter usu medendi observavimus) adeo levis, parvaque est, ut dolor, gravitas, totusque morbus magna potius respiratione deprehendi, quam tactu debeat. Omnia sub hoc casu mitiora sunt, ipsumque vitium multis sèpè mensibus trahitur.

XVI. Porro certiorem Diagnosin Aurigo suffusa facit, quæ, cum huic morbo perpetua sit & propria, omnem hallucinandi ansam præripit. Quapropter superfluæ cautelæ sunt quorundam Practicorum ne decipiamur quibusdam signis, quæ Musculi Abdominis, Pleura, Pulmones, Mesenterium, Ventriculus, Diaphragma simili correpta morbo communia habent.

XVII. Nec multò magis refert esse sollicitos, utrum si-
ma, gibbave pars præcipue tentetur, nisi abscessus externus sperari queat. Dolor acutior paulò Membranas inflammatas signet, verùm non adeò notabile discrimen interest, nec etiam perpetuum, propter rationem supra datam, quæ qui-
dem ipse Galenus prior asseruit, (q) αἱ νόθαι ἐπλευρῇ συναλ-
γῆσι ἀμφοτέροις ἔνιοτε, καὶ τὰτ ἀυτοῖς κοινὸν εκότως ἐσὶ συμβαῖνον &
πᾶσι, ὅτι μὴ συνηπαται πᾶσι δι ὑμένων τὸ ἡπαρταῖς πλευραῖς. Ce-
terūm eadem ferè symptomata contingunt; accedit quod una curatio constat.

XVIII. Paucis tamen Symptomata perstringenda sunt ante-
quam ad reliqua pergam. Ingens sollicitat sitis, fastidiun-
turque Cibi. Lingua scabra & flavescentis. Nausea. Vomitus
immanes foedæ bilis. Ejusdem fluxus teterimi deorsum
ruunt. Anxietates quoque invadunt miserrimæ præ copia
fan-

(q) Loco supra laudato, ubi & hoc Argumentum non exigui ponderis affert, & μὴ συστῆσαι γε δύναται κατὰ θάτερον τὰ μερῶν, ἀκελλῶς πε-
ριποιεῖσθαι, συστῆσαι γε οὐδὲ τὰ σπλάγχνα κατὰ πάντα ἀυτὰ μόρια.

sanguinis Aortam distendentis, & ad ventriculum quoque per Venam Portarum retro pulsi. Omnia denique pessimum singultus.

XIX. Prognosis vix unquam potest sperari bona. Particularis enim inflammatio levissima vix habet in sanitatem exitum. Si atrox & cunctis veræ inflammationis signis manifestum malum est, ægritudines gravissimæ & diuturnæ sunt expectandæ, vel festina mors.

XX. Sed amplius hæc patefacere oportet. Morbus arquatus simplex levi tantum obstructione natus medelam solidam recipit, nec etiam timendus est, qui Febri supervenit criticus. Si nullus resolutioni locus est, nec ulla Crisis facta, succedit scirrus, vel erumpet abscessus. Scirrus immediabilis manebit, & pro magnitudine sua longiorem, breviorrem, gravioremve portendit ægritudinem: quod quidem ex laesa Vilceris functione cognita facile intelligitur. Utique Icterus sperandus est perpetuus, novissimusque Hydrops alcates plerumque tragœdiam claudit.

Sunt qui lethalem omnem abscessum Hepatis pronuntiant. (r) *Tumor hujusmodi* (Glissonius ait) facile in abscessum definit, qui si in Hepate contigerit, certam mortem prænunciat. Discerte Lommius idem asseverat, baud raro Morbus, inquit, ubi non solvitur, suppurat, oritur abscessus prorsus exitialis. Verum tamen hæc prognosis subinde mitior promitti queat, si, quod aliquando factum oportet, externus foras abscessus prorumpat. Et fidem hujus rei fecerit Hipp. Aph. 45. Sect. 7. qui sic sese habet. "Οκοσοισι τὸ ἡπαξ διάωνον καίονται, οὐ μὴ τὸ πύον καθαρὸν ῥυῆ καὶ λευκὸν, τελεγίνονται. εὐ χειτῶν γαρ τὸ πύον τετελεσθὲν ἐσι. οὐδὲ διον αὔμορη ῥυῆ απόθευνται. Quin & observandus mihi Praeceptor Cl. Boerhaavius non errore cæco blandiens Medicorum principi confirmat idem auctoritate sua.

Sin rumpatur intus Apostema, certa mors instat sævissimis stipata Symptomatis. Nam aut totum jecur corruptetur, inde Tabes ictericia & Tympanitis horrendæ fatum brevi af-

fe-

(r) Cap. 7. Anat. Hep.

feret, aut in abdominis cava pure statim effuso viscera cuncta putredinem contrahent foedam; aut exesos pori biliarii fines perrumpens virus atrocissimos colliquatios fluxus mittet, aut denique in venam cavam trajectum corde lacefrito vitæ miserrimæ brevissimas inducias concedet.

XXI. Ultimò tandem generalem quandam medendi rationem traditurus sum, quæ quidem ad inflammationem tantum sedandam & compescendam tota dirigetur, nam ultrà non agendum suscepimus, & quæ his superatis administranda supersunt, ad mala chronica hic non examinanda pertinent.

Simulac ergò suis signis malum se se prodidit, dispiciendum primò num ex re foret Venæ sectio nec ne? Vix autem indicatur ea in singulari hac inflammatione, nisi maxima gravet ægrum Plethora, vel æstus summi frigore subito repressi vis hominem adorta sit. Alias ut plurimum expedit nihil; contrà salutarem turbare crisin valeat. Hinc omni ope resolutio procuranda est, & initio promovenda Crisis. Imponnenda sunt Hypochondriis Epithemata, fomentaque resolventibus & emollientibus parata, quo imprimis Melilot. Pariet. Chamæm. Nymph. Samb. Plantag. Malv. Decoct. ex usu erunt. Injicienda quæ, multùm hic valent, Clysmata refrigerantia, diluentia, emollientia, quæ quidem pro re nata varianda sunt; huc conducent serum Lact. Decoct. Hord. Mel. Nit. similiaque talia. Tum potus propinandi constantes ex iis quæ abstergunt diluunt, & putredini biliosæ maximè sunt adversa. Decoct. Acetos. Endiv. Hierac. Lactuc. Portul. Scorzon. quibus alia præsenti scopo inservientia, si opus est, adjicientur, huc faciunt. Hæc exempli gratia duntaxat proposuimus ex multis pauca memorantes, nec de formulis solliciti, quandoquidem judicio & usu mutanda hæc sunt. Si his auxiliis intra quartum diem aut Alvus cita, biliosa, nonnihil cruenta, vel Urinæ rubræ, crassiæ, copioſæ funduntur, aut naris dextræ Hæmorragia larga solvit, aut denique sudores omni dote laudabiles erumpunt; desiderata crisis facta est; tum singulæ maximè propriis adjuvan-

dæ. Symptomatis ubique occurrentum, motusque omnes nimii prudenter moderandi. Eisdem insistendum est donec vis mali conquiescat. Sin hæc frustra tentata sunt, operienda suppuratione est. Tum dolores & Febris increscunt, vagique horrores ingruunt. Remissio horum & debilitas aucta factam indicant. Inde videndum, quæ spes optima superstet, an tumor abscessum externum ostendat. Is opera Chirurgica fodiendus & aperiendus est. Ulcus depurandum & consolidandum aptis remediis dabitur, cujus magnitudo, purisque conditio spem dubiam magis, minusve bonam facit, sed ex hoc casu pauci servati sunt. Absolvam quæ de curatione perstringere volui proponendo Methodum Hippocratis obsoletam, singularem, fortè non spernendam, ad locum incisionis aptum monstrandum: sed usurpabat eam in abscessu pleuræ detegendo. Ea autem sic est. ἐσ τὴν ἐρετριαδα γγυ νύγειν καὶ λίνη τετελμένην ὃς χλιαρέιν ἐπιβάψεις οὐθόνιον λεπτὸν, πε- εκάλυψον κύκλῳ τὸν θώρηκα. Καὶ σκόπει τὸν πρῶτον ξηραίνηται, τὰυ- τη χρὴ τάμνειν, οὐ κάτειν. ταῦτα τυσῶν. Lib. 3. Art. 27.

Monet ibidem optimè summus vir diligenter cavendum ne Diaphragma lœdatur, at cum hepar tota sua postica parte gibba dextrorūm eidem latè contiguum sit; negata hæc secandi copia magnam de spe reliqua detrahit summam.

XXII. Executus jam, quæ in me receperam, non confiteri non possum in hoc tractatu desiderari multa: verùm ea cuncta si pro dignitate sua tractâsem, exarandus fuisset liber, qui quidem exigitur nequaquam. Quisquis hepatis munia, latamque in Oeconomia animali dominationem hæc tenus detectam considerârit, nullo modo miraturus est ea labente perturbari omnia. Maxima sanguinei fluminis Cataracta sufflaminatur, cogitur ergò rapidius aliorsum, in ventriculum, in Splenem, in Pancreatem, in Mesenterium, in Intestina. Hinc horum omnium actiones impediuntur. Chyli per lacteas progressus, perfectio turbatur. Accedit bilis secretio, excretio perversæ. Inde necessario Digestio, Coctio, fæcis alvinæ expulsio, nutritio totius corporis, adhæc sanguine per Venam cayam transituro defraudati, deficiunt.

Lym-

Lymphæ copia major adigitur per aliena vasa, quæ nimis distenta crepando Hydropem pariunt. Præter hæc si causas omnes, & symptomata, & periodos morbi voluisse examinare: tota mihi fuisset & inflammationum, & obstructio-
num, & Februm exhaurienda ratio: dein universa singulis curatio debita, quæ huc itidem pertinet, exponenda. Sed controversiarum pro examine satis cudi. Ceterū innumerā & stupenda Phænomena hujus visceris læsiones sequentia discenda sunt ex elaboratissimo Professoris inclyti Aphorismorum capite, quod certe Discipulis, qui virum magnum audiērunt, amabili modestia imprimis ab optimo commendatum judice carissimum usque erit: nec minus illi suspicent mirabile totius scientiæ medicæ compendium, altæ mentis opus!

F I N I S.



L I N A U G U A R A T I S

Facilius copia maior possit per spissam acutam
et levem operam et laborum. Propter haec illa can-
tus non possunt nisi in operis et laborum. Non possunt
cantur, et in modis. Non possunt cantur, et in modis.
non possunt cantur, et in modis. Non possunt cantur,
et in modis. Non possunt cantur, et in modis. Non possunt
cantur, et in modis. Non possunt cantur, et in modis.
non possunt cantur, et in modis. Non possunt cantur,
et in modis. Non possunt cantur, et in modis.

2. 1. 1. 1. 1.



